



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

LXX. Surda statis locis auditum recipiens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

Cazorlæ, oppido Toletani Archiepiscopi, Virgo ab teneris in perpetuum Deo sacra, vitam in precibus, & pœnis spontaneis ducebat; afficiebatur autem incredibiliter erga S. Ignatium, atque ad eius effigiem, quotidiana lege magnam partem religiosæ pietatis exigebat, & undecumque vrgeret necessitas securum in ea sibi perfugium locarat. Accidit vero vt perditam clauum diu frustra requireret, quâ suas pecunias claudebat: quare noto paticinio assueta, illam à S. Ignatio rogauit. Per noctem vero appellari se audiens nominatim, apertis oculis, videt sanctum adstare, vultu Beatorum lætitiâ spirante, ex eo didicit vbi clavis lateret, atque insuper momenti non leuis aliquanto prius amissâ syngrapha. Sed hæc magis ad sancti beneuolentiam, quam ad rationes piæ virginis spectarunt. Mirabilius illud quod paucis ab hinc annis eidem euenit: cum enim sic obsurdississet, vt ne quidem clamores sibi assidentium audiret, Dei quidem ad nutus valdè morigera, ob hoc tamen solum agrè ferebat surditatem, quod conciones, & confessarium audire non posset, quibus fere duobus omnibus eius consolatio inerat. Quamobrem suscepit depulsionem huius incommodi apud S. Ignatium expedire, sumptâque in manus sacra illius effigie testatur primùm quæ corpus attinent nihili se facere mutum, cæcum, surdum, vtrumque Deo visum foret, quæ animum tangerent; iis vero se tangi, vt erat surditas; quæ multum ei officeret, & proinde ex cordis intimo precatur, hoc ab se malum amoueri, eò saltem vt aures ad diuina liberarum haberet, aliorum auditu facillè carituram. Sub quæ imaginem sancto osculo venerata, vtrique appressit auriculæ, vtque illi mos erat in templum se contulit. Ecce autem ipso ab aditu, Sacerdotum vocem sacris operantium explicitissime audire; dein confessarij etiam; postea concionatoris. Sed quod miraculi miraculum quoddam est, è templo egressâ, surda vt antea nihil audire, ingressâ auditum recipere, perpetuata prodigij mirabilitate, hæc enim anno sæculi tertio dum perscriberentur, vnus iam anni continua experientia ea comprobarat.

Die anni eiusdem septimo, Petrus Gujarrus ex S. Iacobi nouæ Cantabriæ, cohortem suorum militum Durangum in oppidum reducebat, ducebatur, & Inda partum suum gerens ante dies viginti editum, sed vsque ad eò infirmum vt post iter diei Petrus morti proximum contuens sacro fonte abluerit. Non diu post feliciter functum, mater Mancipium barbarum, leuatura se illo pondere, abiiciebat in viam publicam: milites ob reuerentiam baptismi subitaria humo volebant contegi: dux in pagum Corralem Morcilij, deferri iussit, vt sacro tumulo conderetur; atque ad hoc matri colligari, vt vel ingratis secum illum portaret. Colligatusque est tam arctè (quod testes affirmant) vt si foret infans adhuc viuens, vel iis vinculis necari potuisset. Iniecit inter hæc duci Deus vt flagitaret innocentis vitam ab S. Ignatio reddi, quem peculiari sensu pietatis colebat, idemque, vt milites votis communibus facerent magna. Expectatione persuasit exacto in precibus, & itinere illo die, Corralem deuenitur; Indus qui cadauer infantis filij, matri

11 i 3 alligarat,

LXX.

*Surda stans  
locis audi-  
tum reci-  
piens.*

LXXI.

*Infans à  
moris ex-  
citatus.*